



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

Capvt XIII. Superbos, Calumniatores, Detractores, & omnes iniustos atque  
impios, meritò infamari, & aliquando etiam vtiliter rideri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

propter vitam aeternam, si tantum à suis civibus  
terrena dilecta est propter hominum gloriam.  
Atque hoc præcipuum est argumentum, ob  
quod omnes honorari merito metuere de-  
bent, ne hîc recipiant mercedem suam; cùm  
& Gentibus Deus honores terrenos contu-  
lerit in mercedem, quibus non erat daturus vi-  
tam aeternam. Enimverò, quotiescumq; ali-  
quid feliciter succedit, providæ mentis ho-  
mo formidat, ne per huius vitæ felicitatem,  
æternam amittat felicitatem, dicaturque il-  
li aliquando, *recepisti mercedem tuam*. Vi-  
deant igitur, qui propter opera sua laudari  
cupiunt, quam mercedem cupiant, quam  
omittant.

## CAPVT XIII.

*Superbos, Calumniatores, Detractores,  
& omnes iniustos atq; impios, meritò in-  
famari, & aliquando etiam utiliter  
rideri.*

## §. I.

*Malè aliquos dolere, si quid in honore pa-  
tiantur.*



*Audari non cupio, inquires, neque  
correctionem fugio, si peccavi.*

Sunt

Sunt, qui differant nomen innocentis: sunt, qui crimina mihi affingant, de quibus nunquam somniaui: sunt, qui, quæ optimâ mente gessi, pessima suspitione interpretentur, virtutibusque nomen imponant vitiorum. Hoc me vrit, hoc tolerare non possum; hoc, apud Deum, mihi non videor præmeruisse. Ferrem, si vera dicerent: si mihi conscius essem, libenter me emendarem. Bene facere, & malè audire, hoc excedit vires meas; hoc captum meum superat. Nec enim video, quid Deus mecum velit. Quò melior sum, eò me peiùs tractat; vt propemodum fatius sit, non esse nimis pium. Probos obtrectatio & calumniæ sequuntur; felicitas audaces. Talia impatienter iactant diuinorum iudiciorum imperiti; atque idcirco etiam illa desperatissima addunt: Malo nocens esse, si perinde est, siue nocentem affligi, siue innocentem. Ægroti vox est ista: medico eget. Atque inprimis multi periculose habent, qui se sanos iudicant: sic plurimi sibi videntur innocentes, qui vitij sciant. Quis scit igitur, si tibi homines maledicunt, an non tu ipsis maledixeris priùs? aut si his non recordaris te maledixisse, fortasse aliorum nomen & famam sæpe aggressus

sus es. Quid ergo mirum, si Deus permittat unum alterumque laudes tuas contrahere, eum tu forte decem aut viginti honestissimorum virorum honorem sis depopulatum. Aut, si linguam in freno habes, fortasse manibus, fortasse oculis peccauisti, quod merito luas. Crates certe Thebanus dicebat, non inueniri, cuius facta omnia singula esse oportet, quemadmodum etiam in malo Punico granum aliquod putridum reperitur. Quid gemis ergo, si luis? quid queritaris, si castigaris? Quis est, qui in verum non offendit? Quid ergo mirum, si lingua flagellant? iam sentis, quo dolore alios affeceris, cum & tu eos aculeatissimis digitis flagellares. In summa, quisquis male viuere seipsum infamat, aut fundamentum ponit, ut possit infamari.

## §. II.

*Varij modi, quibus antiqui reos infamia notauerunt.*

Siue igitur linguâ, siue manu alios iniurias, dignus es, qui lege talionis puniaris. Vt teres calumniatoribus, infami stigmatibus calumniæ litteram in frontem inusserunt. Quali etiam signo furti reos notarunt, ut quibus oculis legerent, cuius vel lingua, vel

De hoc  
Plutarch.  
in Apoph.  
& Dio-  
gen. La-  
ert. in  
Crat.  
Iacob, 3.1.

digiti cauendi essent. Samij captiuos Athe-  
 nienses, quos seruorum loco habebant, no-  
 ctuæ figurâ signabant. Vicissim Athenien-  
 ses Samiorum frontibus stigmata inusse-  
 runt, vnde iactatum vulgò, *Samijs neminem*  
*esse litteratiorem*. Nec quidquam tam fuit in-  
 fame, quàm inscripti vultus; nam apud so-  
 los Thracas signum nobilitatis erat, fron-  
 tem punctis notatam prætulisse, vt Hero-  
 dotus scribit, vnde *Threieia nota* in prouer-  
 bium venerunt. A quibus Istriani non lon-  
 gè, vt loco, ita nec moribus recesserunt.  
 Lysander, ignominia causa, ab Agesilao  
 rege carniū diuendendarum muneri præ-  
 fectus est. Eadem de causa Brutij Iorarij fa-  
 cti sunt. Calpurnius Piso Consul, & Octa-  
 uianus Augustus milites ignauos & timidos  
 tunicatos discinctosque, per totum diem,  
 cum decempedis plerumque cespitem por-  
 tantes, ante prætorium stare, vel obsoleta  
 toga, & tunica discincta, nudisque pedibus,  
 ante principia adesse iubebant; vel fossam  
 fodere discinctos cogebant; vt eo habitu &  
 specie deformi in omnium conspectu præ se  
 ferrent insignem memoriam flagitij igno-  
 miniaque acceptæ. Arnoldus Archiepisco-  
 pus Moguntinus contra Hermannum Co-

Alex. lib 2. cap. 13.

In appen- dice Ma- riani

R 3

mitem

Sab. lib. 3.  
En. 3.

mitem Palatinum, bello gesto sub Friderico I. Imp. fulmine excommunicationis victos hostes, canes, per ignominiam, portare coegit, atque ita in gratiam recepit An. 1155. Equi à L. Quintio Cincinnato Dictatore inclusi, cum se dedidissent, inermes sub iugum missi sunt. Tribus hastis iugum fiebat, duabus humi defixis, superq; eas vna tranversa deligata. Alij asinis retrorsum insidentes, & caudam manibus tenentes, per urbem circumducti sunt, quod Andronico tyranno contigit à Constantinopolitanis. Nudati alij, verberati, cum ignominia occisi; immò & occisi contumeliosè tractati, quo pacto, teste Plutarcho, Ptolomæus rex Cleomenem mortuum pelle nudavit, & cruci affixit. Ita in poenâ multi honore sepulchri caruerunt; multi sub patibulo tumulati, multi refossi cremati sunt. Denique quid non excogitavit humanum genus, vt hostes, inimici, & qui malum meruerunt, infamiâ plecterentur?

§. III.

*Ex sacra historia superbi humiliati.*

Plexit summus iudex æternâ infamiâ superbum Spiritum, Luciferum, qui est fratrum suorum calumniator. Cecidit in imum, qui

Isa. 14. 13.

qui summus esse voluit; vestitus est ignomi-  
nia, qui ornatus erat omni lapide pretioso.

Adam, qui voluit esse, *sicut Dij*, humiliatus  
est, cumq; ipse, & vxor eius, tunicis pelliceis

indutus, instar ægroti incederet lugens, au-  
dire coactus est illa amari risus verba: *Ecce*

Gen. 3. 22.

*Adam, quasi unus ex nobis factus est, sciens bo-  
num & malum.* Extructores turris Babel

quàm altas habuerunt cogitationes? *Venite,*

Gen. 11. 4.

*inquiebant, faciamus nobis ciuitatem, &  
turrim, cuius culmen pertingat ad calum: &  
celebremus nomen nostrum.* Opere interrump-  
to destiterunt, in ruborem dati, vnde no-  
men quæsiuerunt: vt tam de architecto,  
quàm de operario per ludibrium dici posset:

*Hic homo cœpit edificare, & non potuit con-  
summare.* Core, Dathan, & Abiron contra

Luc. 14.

30.

Num. 16.

Moysem & Aaron superbi calumniatores, 4.  
nonne iustissimo iudicio vsque ad infernum  
humiliati sunt? Saul, cùm vellet magis sa-  
pere quàm Samuel, neq; Deo obediret, non-  
ne audiuit: *Pro eo, quòd abiiecisti sermonem*

1. Reg. 15.

23.

Isa. 27. 38.

*Domini, abiicit te Dominus ne sis rex?* Senna-  
cherib rex Assyriorum, quàm superbus, &  
quàm contumeliosus fuit in Iudæos, &  
Deum Iudæorum? quàm autem citò subuer-  
sus est cum omni exercitu suo? itaq; nihili

habitus

- habitus est, ut eum proprii filij Adramelech,  
& Sarasar in templo Nesroch crudelissimè  
Dan. 4. 7. contrucidarent. Nabuchodonosor ex fa-  
stioso homine propemodum in bestiam,  
certè in bestia ignobilitatem degeneravit.
- Igdith. 14. 16. Holofernem alterum graduum Martem.  
feminea manus quantum deiecit? Ipse ho-  
stis dicere coactus est: *Vna mulier Hebraea fe-  
cit confusionem in domo regis Nabuchodonosor,  
ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput  
eius non est in illo.*
- Esther. 4. 9. Aman super nubes gradi-  
ens, seq; ipsum, præ magnitudine, non ca-  
piens, quàm ignominiosè sublimatus est?  
qui cum rege & regina solus in mensa accu-  
buerat, quantum postea gentis suæ dedecus  
in patibulo pependit, exemplum superbo-  
rum? Quid Antiocho insolentius, quid mi-  
serius? quò altiùs se se extulit, eò grauiùs à  
diuina vindicta percussus est, ita ut de corpore  
impj vermes scaturirent, ac viuentis in dolori-  
bus carnes eius effluerent, odore etiam illius  
fœtore exercitus granaretur, & qui paulò ante  
sidera cali contingere se arbitrabatur, eum ni-  
mo poterat propter intolerantiam fœtoris por-  
tare. Herodes quoq; vterque, quàm infami  
morte perijt? illum pediculi, hunc illius  
nepotem repentina similis percussio, & su-  
bitum



bitum de caelo exitium sustulerunt. Quare  
in illum sic iuvenes lusimus.

*Es Dux, es Imperator, esq; legatus.*

*Optare quid vis amplius? Negas isthac?*

*Indusium inspice, copias tuas cernes.*

Alter autem Herodes vestitus veste regia,  
cum sedens pro tribunali, summa lubentia  
audiuisset populum acclamantem: *Dei voces* Act. 12. 21.

*& non hominis*, itidem de sede graduq; deie-  
ctus superbiam condignè luit: nam confe-  
stim perensit eum *Angelus Domini*, eò quòd  
non dedisset honorem Deo: & consumptus a ver-  
mibus expirauit. Ita minutissima animalia

in grandes illos vel Dei simios, vel persecu-  
tores immissa sunt, vt supercilium ponere,  
& cristas vel inuiti demittere cogerentur, si  
à vilissimis bestiis deuorarentur, qui se ipsos  
Deos facere conabantur. Hoc superbiæ re-

medium etiam D. Chryostomus dedit, cum S. Chryst.  
dixit: *Pensa naturam nostram, ex quibus con-* hom. 49.  
*stat, & quò desinit. Cogita, cum dormis, quo sis* ad pop.  
*dignus: nonne vel minima bestia te posses interi-* Antio-  
*mere?* chen.

§. IV.

*Diocletiani superbia itidem à vermibus ca-*  
*stigata.*

*Diocletianus Imp. post triumphum de Persis* Carol. 5<sup>to</sup>  
R s actum gon. lib. 1.

de occid.  
Imp. An.  
Dom, 297  
ex Nice-  
phor. l. 7,  
cap. 20,

actum, hanc tantam felicitatem, tamq̄ prosperam fortuna obsequiū capere animo non potuit; siquidem moderatione prorsus in superbiam ver-  
sā eo vsque insolentia prodyt, ut se posthac, mor-  
talitatis oblitus, tanquam Deum adorari vo-  
luerit. Nam proycere se homines venerabun-  
dos, atque osculum pedibus figere pati coepit, &  
gemmas vestibus calceisq̄ inseruit; cū ante  
ipsum omnes Imperatores consulari tantū sa-  
lutatione contenti fuissent, solam chlamydem  
purpuream privato habitui adiecissent. Is au-  
tem, ut ait Nicephorus, diuinis expetitus plagis,  
toto primū corpore tumorem ingentem conce-  
pit, quo deinde variè disrupto, lentè ita emar-  
cuit, ut blasphema eius & impia lingua, qua ini-  
quitatē in altum enomnerat, intra fauces ipsas  
vermium vim proferret, qui ex ore illius pro-  
repentes foetore pessimo locum habitationis om-  
nem replebant. Postremò autem, more canis,  
quàm maximè latrans, sceleratam & nefariam  
eum violentia quadam exhalavit animam.

## §. V.

*Cosrhoæ regis superbia humiliata.*

Ne quisquam sceptrā adoret, aut reges  
Deo æquet, ecce vel Imperatores viui à ver-  
mibus cruciantur, & purpurati Principes  
facti sunt pediculosi; ut non solū despici-  
antur,

antur, verum etiam velut cadauera, ob infamiam pudorem, execrabiles naseentur.

An illis iniuria irrogatur? Nequaquam.

Nam quia *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper, & foetet ante te, Domine, iustissime foetorem foetore plectis.* Nullum

malum par elationi, ait S. Chrysostronus, *Hominem reddit demonem, blasphemum, contumeliosum, periurum, cupidum cadum & homicidiorum.* Elatus semper in doloribus vivit,

semper indignatur; semper moeret, nihil est, quod eius explere possit libidinem. Sicut enim auari quanto plura acceperint, tanto pluribus egent: sic superbi quanto maiori funguntur honore, tanto plus concupiscunt. An non, ob hoc ipsum, deprimendi? vituperandi? mille contumelias afficiendi? Quemadmodum Deus irascitur illis, qui fulmen ac tonitru imitantur, eosque in Tartara praecipitat, ut Salomoneum, sic superbis & elatis indignatur, qui magnitudinem aemulantur, non exprimunt bonitatem. Cuius rei insigne exemplum recitat Siffridus Presbyter, in hunc modum. Anno tertio Heraclii Imperatoris qui fuit LXI. a Casare Augusto, permittente Deo flagellari populum suum per sauitiam paganorum, Cosrohes Persarum Rex, omnia fere reg-

nerat.

Psal. 37.  
23.

S. Chryf.  
hom. 43.

Siffrid.  
Presb. lib.  
1. Epitomes An.  
Dom. 642.

nater.

Baron.  
tom. 8.  
An 614.

na terrarum suo imperio subiugavit. Ierusalem  
veniens à sepulchro Domini territus rediit, sed  
tamen partem Crucis sancta, quam Helena ibi-  
dem reliquerat, asportavit. Volens coli ab om-  
nibus ut Deus. In currum ex auro, inter subti-  
los etiam & occultos ductus, quasi Deus, desuper  
aquam infundebat, & in specu subterraneo equi  
quadrigas trahentes in circuitu, ut quasi cur-  
rum mouerent, & tonitru simularent. Filio  
igitur suo regno tradito, in tali fano profanus  
residet, & iuxta se Crucem Domini collocans  
appellari se ab omnibus Deum volebat, & sicut  
legitur in libro de naturali officio, ipse Cosrhoes  
in throno residens, tamquam Pater lignum Cru-  
cis à dextris posuit loco Filij, & gallum à sinistris  
loco Spiritus sancti; se verò Patrem iussit no-  
minari. Tunc Heraclius Imperator exercitum  
eopiosum collegit, & contra filium Cosrhois iuxta  
Danubium fluvium dimicaturus aduenit. Tan-  
dem utriusque principibus placuit, ut ipsi super  
pontem lapideum confligerent, & qui victor exi-  
steret, ipse sine damno utriusq; exercitus Impe-  
rium usurparet. Decretum etiam exijt, ut qui-  
cumq; principem suum iuuare præsumeret, cru-  
ribus & brachijs abscissis, continuo in flumine  
mergeretur. Et Heraclius totum se Deo obtu-  
lit, & sancta Cruci se deuotione, qua potuit,

commendavit. Ambobus itaq; in conflictu durantibus, Heraclio victoriam Deus tribuit, & sunctum exercitum suo Imperio subiugavit, ad eò ut uniuersus populus Cosrhae fidei Christiana se subdiderit, & sacrum baptisma susceperit. Cosrhaes autem ignorabat exitum belli, quia cum omnibus odio esset, id à nemine ei intimabatur. Heraclius improvisò ad eum peruenit, & in throno aureo eum sedere reperiens, eidem dixit: Quia lignum S. Crucis secundum modum tuum honorasti, si baptismum & fidem Christi susceperis, adhuc vitam & regnum à pacis obsidibus obtinebis: sin verò implere contempseris, gladio meo te feriam, & caput tuum praeidam. Cum ille acquiescere nollet, extracto gladio protinus eum decollauit. Sic Siffridus, Breuiarium Rom. 14. Sept. à Sinochio proprio filio occisum ait. Ita theatralis Deus, Deus pariter & homo esse desijt, vitam simul & personam exuens. An non meritò? Iam dudum diuina æquitas Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Luc. 1. 52.

§. III.

*Confusio in pœnam.*

In plerisq; vrbibus catasta est, in qua rei ludibrio exponuntur; & vulgaris pœna est, vt adulteri, vel adulteræ, cum cereo, vel virgis,

Pfal. 88.  
42.

virgis, in ignominiam, ante fores aditusq;  
templorum statuuntur. Ita iudex quoq; di-  
uinus peccatores infamiâ punit, in exem-  
plum & emendationem aliorum, vt si eru-  
bescere nolint, non faciant erubescenda. De  
tali dicitur: *Diripuerunt eum omnes trans-  
euntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.  
Exaltasti dexteram deprimentium eum: lati-  
ficasti omnes inimicos eius. Auertisti adiutori-  
um gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello.  
Destruxisti eum ab emundatione: & sedem eius  
in terram collisisti. Minorasti dies temporis eius:  
perfudisti eum confusione.* Quid miratur is se  
diripi, qui pauperes diripuit, vt ditaretur?  
quid queritur, se esse opprobrium vicinis  
suis, qui ipse despexit vniuersos? quid de iu-  
stitia Dei dubitat, quando videt se desertum  
in bello, & hostes suos triumphare, qui ab-  
usus est potentia, itaque subditos contra-  
ius & fas pressit, vt ipse loco hostis habere-  
tur? Pauperes, egeni, religiosi, quos avari  
deglubunt, cum alioqui pro eis vota ad Su-  
peros facere deberent, iniuria prouocati  
hac oratione vtuntur: *Induantur, qui detra-  
hant mihi, pudore: & operiantur, sicut diploi-  
de, confusione sua.* An non debet iniquissime  
pressos exaudire Deus? & prementes preme-  
re vi-

Pfal. 108.  
29.

re vicissim? An non mulier, seu anima potius in ruborem danda est, qua confusione res dignas gerit? Numquid, *Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum?* Deniq; sicut honor & gloria in sermone sensati, ita lingua imprudentis subuersio est ipsius. Non appelleris susurro, ait idem, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. Super furem enim est confusio & poenitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia. Hæc talia, isti tales merentur. Atq; utinam icti saperent, ne operiantur, sicut diploide, confusione sua, & non solum in hac vita, sed etiam in altera, æterna confusione induantur.

Prou. 12.  
4.  
Prou. 18.  
13.  
Eccli. 5. 15.

§. VII.

*Confusio in medicinam*

*Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam: tum scilicet, si admoniti de errore resipiscant.* Hinc ait Psalmista: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Postest enim contemptus & ignominia aperire homini oculos, ut & suam videat miseriam, & mundi agnoscat vanitatem. Qualem historiam ex PP. Dominicanorum Annalibus recitat

Escli. 4.  
25.  
Psal. 82.  
17.

**Hieron.** recitat Hieronymus Platus, in hunc ferè  
**Platus** modum: *In eodem quoque Ordine (Domini-*  
**lib. 3. de** *cano) eodem etiam ferè tempore, illustris fuit*  
**bono stat.** *omni item sanctitatis & doctrina laude Petrus*  
**Relig.** *Consalvus, cuius conversioni causam dedit res*  
**cap. 38.** *lensis in speciem, sed qua mundi vanitatem ei pla-*  
*nè ostendit. Nam cum Episcopo Valentino ne-*  
*pos esset, & ab eo opima beneficia adolescentulus*  
*adhuc ante legitimam etatem consequutus esset,*  
*quibus ille ad delicias, & inanem fastum frue-*  
*batur, ita contigit, ut quadam die, dum in equo*  
*una cum aliquot aequalibus tota vrbe, hic, illic,*  
*lasciuiret, in profundum lutum caderet; ex*  
*quo cum totus madidus ac coenosus extractus es-*  
*set, accidit insuper ut à puerorum manu, qua*  
*fortè circumstabat, cum risu & scommate mul-*  
*to procaciter exciperetur. Qua re pudore suffu-*  
*sus, sibiq; ipsi iratus, ita secum loqui cœpit;*  
*quandoquidem sic à mundo, cui seruierat, tra-*  
*ctaretur, se quoque vicissim eum tractaturum,*  
*ut decebat. Itaq; eodem momento constituit se*  
*Deo famulaturum, quod etiam paulò post cum*  
**Polydor.** *magna civium omnium admiratione aggressus*  
**Virgil** *est in ea, quam dixi, familia. Quin & regum*  
**circa finē** *superbia domita est contusione. Canucus*  
**lib. 7. ex** *Daniæ rex & Angliæ, aliquando sedili in-*  
**Chron.** *littore posito dixisse fertur; Mare regni mei*  
**German,** *para*



parses, itaq; mihi obtemperes: volebet nimirum, vt homines dicerent: *Qualis est hic*, Matth. 23. *quia venti & mare obediunt ei?* Sed aliter res 27. conuenit, nam protinus contrarium factum est: mox enim mare, impetu facto, sinum eius liberaliter irrigauit. Quare territus rex uuidis vestibus de solio surrexit, & tam laute habitus, *Vana est*, dixit, *omnium regum potestas: solus Deus omnipotens.* Itaque corona Crucis imposita, post illa, pietatis cultor, & modestiae exemplum fuit. Mare igitur, *Dum non pareret, docuit parere;* & regem, quem voluit docere, cuius potentiae esset, pudefecit.

CAPVT XIV.

*Hypocritas detectos iustissime, pro quaesita laude, ignominijs omnibus appeti & concidi.*

S. I.

*Quibus similes sint Hypocrite?*

**D**logenes cuidam sibi placenti, quod leonis exunio tectus ingrederetur: *Non tu desines*, inquebat, *virtutis stragulas pudefacere?* scilicet indecens esse existimabat, quod homo mollis Herculis *amicium*

Laerte lib. 6. cap. 2.